



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

Quantum confert homini fidelitas. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

facit hominem secundum cor Dei, cui liberè credi possit? Primò utique timor Domini; dehinc dilectio sine simulatione; postremò, nullius terreni commodi quæstus, fidelem seruum constituunt. Talis erat vas electionis Paulus, cui credita sunt tam multa preciosa & magnifica secreta. Et ipse fidelis inuentus est in domo Dei, & prudenter se agebat in omnibus. Vnde ita dicit: *Non quærens, quod mihi utile, sed quod multis.* Item: *Non quæro vestra, sed vos: nec quæro datum, sed fructum.* 1. Cor. 13.  
Phil. 4.

§. 4. Quantum confert homini fidelitas.

Fidelitas ergo si fuerit inuenta in homine, reddit ipsum superioribus suis charum & preciosum, equalibus amabilem, cæterisque sodalibus suis valde venerabilem & gratiosum; ita ut nemo iustam aduersus eum habeat querelam, sed latentur omnes de virtute fidelitatis eius. Nosti aliquos inter nos, & quantæ sint recommendationis, frequenter audis, & gaudenter etiam pertractas. Quæris imitari, ut bonum possideas, quod in alijs laudas, & bene facis; sed melius dum perficis. Si quando intelligis te deficere, doles imperfectionem tuam; & velles utique talis inueniri, ut nemo imponeret querelam seruituti tuæ. Ministras epim Dei seruis, & ideo formidas, ne sis indignus & inutilis, negligens aut tardus, prodigus aut nimis parcus. Sed si niteris tamen facere secundum tuam possibilitatem, respiciendo semper primò Dei voluntatem, atque deinde proximi necessitatem; erit Dominus propitius tuæ insufficientiæ, quam debes maiorem, quam alij putant, in te recognoscere. Nemo securius excusatur, quam qui culpam propriam agnoscens se humiliat. Etiam si alij excusant, bonitati eorum plus deputa quam tuæ innocentia.

§. 5. De fiducia in Deo, tempore paupertatis.

In domo vbi abundat paupertas, & multi commensales sunt, ibi angustiior est via ministrandi. Nec idcirco tamè deferenda est cura pietatis, sed de Dei misericordia confidendum. Vnde in Euangelio habes: *Misereor turba, quia iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: Et ieiunos eos nolo dimittere in domos suas, ne deficiant in via.* Discipuli dicebant: *Dimitte turbam, ut eant in castella, & emant cibum.* Sed Iesus respondit eis; *Date illis vos manducare, ut probaret eos, quanta esset fides illorum in tanta multitudi-<sup>ne.</sup>* cum tanta paupertate panum & piscium. Illi desperabant de sufficientia, dicentes: *Sed hæc quid inter tantos?* Benignissimus Dominus, quid post hæc dixerit, audi: *Facite homines discumbere?* Accepit panes, benedixit, insitque discipulis suis, & apponerent turbis. Et manducauerunt, & saturati sunt, & Marc. 8.  
In egestate  
presumen-  
dum de Dei  
liberalita-  
te.